Vatabl. Arias. Gladius anceps, & acutus exibat.

Primaſ. Ex ore ejus gladius utrimque acutus exierat.

Alii ex Græco. Gladius duplicis oris.

Victorinus. In facie autem ejus claritas, ut Sol.

Pagnin. Et facies ejus, ſicut Sol, lucet in potentia ſua.

EXPOSITIO XII.

513. *ET habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem*: per quas ſignificantur ſeptem Angeli, ſeu ſeptem Epiſcopi Aſiæ, ut apertè dicitur verſu ultimo hujus capitis, qui inſtar ſtellarum, debent ſplendore ſuo ſubditos illuminare: calore vivificare, & influentiis vegetare, præſertim in tenebris, ac nocte hæreticorum perſequentium. *Et de ore ejus*, tanquam ſupremi judicis, *gladius ex utraque parte acutus*; ſeu; *bis acutus*; ſeu *duplicis oris*; juxta varias lectiones: Hoc gladio ancipiti ſignificatur ſententia condemnationis, ac punitionis æternæ, qua Chriſtus in extremo die judicii acerrimè feriet impios, eoſque adiget in gehennam, & dicitur hæc ſententia, gladius duplicis oris acuti; quia duriſſimè Chriſtus duplici pœna, ſcilicet damni, & ſenſus eos afficiet.

Sententia condemnatoria.

514. *Sicut Sol lucet in virtute ſua*, ſeu *in potentia ſua*; ſeu *robore ſuo*; hoc eſt, meridiano tempore, cùm Sol maximè fulget, & lucet; & ſignificatur gloria corporis Chriſti, qui tanquam Sol nunc reſplendet in cœlo: reſplenduitque in Transfiguratione: reſplendebitque in die judicii, ſuoque ſplendore Sanctos omnes, tanquam minores ſtellas colluſtrabit, ac vegetabit ut inquiunt S. Ambroſ. Ticonius, Haymo, Rupertus, & alii.

D. Ambr. Ticon. Haymo. Rupert.

QUÆSTIO LXI.

Quid hîc hæ ſtellæ ſignificent?

515. Alcazar. ALcazar hîc has ſeptem ſtellas in dextera Chriſti, interpretatur eſſe ſeptem gemmas, inſtar ſtellarum, annulis totidem infixas, vel inſculptas: quomodo Joachim, & Zorobabel vocantur annuli ſeu ſignacula in dextera Dei Jerem. 22. Eccleſiaſtic. 49. n. 13. Addit ipſe, has ſeptem ſtellas adaptari poſſe ad ſeptem planetas, quas ipſe ſeptem Epiſcopis Aſiæ accommodat; & de Planetis etiam exponit Abbas Joachim.

Jerem. 22. Eccleſ. 49.

516. Hæc quamvis cum aliquali ingenio ſint excogitata aliena tamen ſunt à littera: transformat enim ſtellas in gemmas, ſeu annulos, de quibus nulla hîc fit mentio: & extorquet nomen ſtellarum à ſuo genuino ſignificato, ſine fundamento: ac proinde ſimpliciter ſtellarum nomine, ſtellæ ſunt accipiendæ, quarum lux fulgentior eſt, quàm gemmarum. Ita communiter Patres, & Interpretes; ſtellas ſimpliciter intelligunt: ſicut & ſtellas proprie fixas, & non Planetas.

Quantum ad ſignificatum harum ſtellarum Primò, non Epiſcopos, ſed propriè ſeptem Angelos, ſeu Spiritus cœleſtes, interpretantur Origen. hom. 20. in Numeros. D. Hilar. in Pſ. 124. D. Nazian. orat. 31. D. Hieron. in c. 18. Matt. *Ad illa verba: Angeli eorum.* Maldon. eodem capite. 517.

Quia ſignificent. Origen. D. Hilar. D. Nazian. D. Hieron.

Secundò. Per ſeptem ſtellas, ſeu Angelos, ſeptem dona Spiritus S. ſive Spiritum ſanctum ſeptiformem, accipiunt Victorinus, Stephanus, & Arias Montanus, qui etiam addit, has ſeptem ſtellas, eſſe ſeptem Spiritus in Divina eſſentia conſtantes. Tertiò, Andr. Cæſar. per ſeptem ſtellas, exponit ſeptem rerum gradus, ſive omnes res, quæ in univerſa mundi machina ſunt, ac proinde totius orbis, quæ in manu, ac dextera Dei eſt. 518.

Steph. Arias. Andreas.

Quartò. Genuinam, & legitimam harum ſtellarum interpretationem nobis dedit ipſemet Angelus, qui hæc Joanni revelabat; dicens infra verſ. 20 *Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*; hoc eſt ſeptem Epiſcopi Eccleſiarum Aſiæ. Ita communiter D. Aug. D. Ambroſ. Victor. Haymo, Beda, Richardus, & alii multi, ut patebit ex ſtatim dicendis. 519.

Stellæ Prælati. D. Auguſt. D. Ambroſ. Victorin. Beda. Richard.

Primò. Rich. Victorin. *Rectè Eccleſiarum Epiſcopi ſtellis comparantur, non planetis; quia in eodem ſtatu juſtitiæ debent ſtare: non per diverſa vitia ſemetipſos permutare.* Comparantur Epiſcopi ſtellis, non planetis; ſtellæ in firmamento fixæ manent, planetæ autem nequaquam, quibus hæreticos compatat Judas Apoſt. n. 13. *Fluctus maris feri, deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia.* Ecce cur non planetis, ſed ſtellis conferuntur Eccleſiaſtici Antiſtites: quia ſtabiles, fixi in Eccleſiæ fideique firmamento, ac juſtitia debent ſtare, & à ſuo loco non diſcedere, nec à ſua ſede unquam recedere. 520.

Richard. Jud. Apoſt.

Secundò De Prælatis, ac Doctoribus ait Dan 12 n. 3. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quæ verba commentans D. Hier ait: *Magiſtri habebant ſimilitudinem cœli: & qui alios erudiunt, ſtellarum fulgori comparantur: non enim ſufficit ſcire ſapientiam niſi ut alios erudias: tacitus ſermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere non poteſt.* Juxta illud Eccleſiaſt 41. n. 17. *Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Ecce cur Prælati, & Doctores ſtellis comparantur: non ſatis eſt, quod ipſi ſint doctiſſimi, ac ſapientia pleni: ſed neceſſe eſt, ut alios erudiant: non ſufficit quod Prælatus, ſit doctus, virtuoſus, ac reformatus: ſed ultra requiritur ut in doctrina, juſtitia, reformatione, ac virtute inſtruat. 521.

Dan. 12. D. Hieron. Eccleſ. 41. *Prælatus, non ſufficit, quod ſit doctus & virtuoſus: ſed ut alios erudiat.*

Tertiò D. Bonaventura tractat. de Beatitud. cap. 4. *Septem ſtellæ quæ ſunt in dextera, ſunt opera miſericordiæ ſpiritualia, in cordis hemiſphærio lucentia tanquam ſydera radioſa.* Meritò Præſules ſtellæ nominantur, cùm illis comparantur: quia veluti ſtellæ, ſua claritate alios illuminant, calore fovent, & vivificant, ſuiſque influentiis creant, conſervant, & vegetant. 522.

D. Bonav. *Prælatus miſericordiæ operibus alios viſitet.*

Quartò. D. Auguſt. in Pſalm. 46. *Sunt ſtellæ, ait, quædam lumina in Eccleſia conſolantia noctem noſtram, omnes, de quibus dicit Apoſtolus* ad Philip. 2. n. 15. *Inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo.* Stellæ nocte in medio tenebrarum lucent: ſic & Antiſtites luceant, præcipuè noctu, hoc eſt, tempore perſecutionum, ac adverſitatum, & hæreſum; uti lucebant hi ſeptem Epiſcopi fortiter, ac conſtanter tempore perſecutionis Domitiani. 523.

D. Auguſt. Philipp. 2. *Prælati debent lucere intes perſecurientes.*

524. Quintò D. Bernard. *Epiſcopi, & Prælati debent lucere in ſe ipſis per puritatem conſcientiæ; debent etiam illuminare ſubditos per claritatem.* Rectè Epiſcopi cum ſtellis comparantur, nam ſicut ſtella prius in ſe lucens eſt, priuſque in ſe habet ſplendorem: ſic & prælati prius in ſe lucidi ſint, ſplendoremque virtutis in animo retineant, ut inde aliis poſſint ſplendeſcere, ac illuminare ſubditos.

D. Bern.

525. Sextò. Magno myſterio hi Epiſcopi, ſtellæ nuncupantur. Stellæ magnitudine ſuperant terram; & tamen nobis minimæ apparent: ſic & veri Prælati, licèt in ſeipſis magni ſint præclaris virtutibus: tamen per humilitatem, omnium minimi videantur. Curávit Deus, ut Io ſue univerſo populo præeſſet, poſt mortem Moyſis, cui ait Deus Numer. 27. n. 18. *Pone manum tuam ſuper eum*, ſcilicet Joſue; *& dabit ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Oleaſter ex Hebræo: *Pones de deſcenſu tuo ſuper eum.* Ubi pro gloria ponitur deſcenſus, ac ſi Prælatorum gloria ſit humilitas.

Prælatus, et ſi ſublimis, humilis.

526. Septimò. Stella valdè ſublimem locum obtinet, nempe firmamentum: ſic etiam Præſules, ſicut gradu excellunt, ſic & vitæ luce, ac ſplendore debent eminere. Salvian. lib. 3. de Eccleſia Catholica: *Cunctos, ait, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tam excellere oportet merito, quantum gradu: ſi eminent dignitate, emineant culmine ſanctitatis.*

Epiſcopus ſicut excellunt gradu, excellant vita. Salvian.

527. Octavò Stellæ ſunt mutæ, & vocem non habent: quomodo ergo eis aſſimilantur Prælati, quorum eſt ſuis monita dare, eoſque arguere, quando oportet: ergo comparandi erant alicui vociferanti, ac clamanti. Alto tamen conſilio animarum Præſules mutis ſyderibus comparantur, lucentibus tamen ſemper: quia Prælatus ſuos magis debet luce, ac ſplendore bonorum operum illuſtrare, & erudire, quàm verbis, ac vocibus docere. Nam Prælati, qui alienis tantùm exemplis ac verbis docent, ſimiles ſunt illis, de quibus Dominus per Jerem. 23. n. 30. ait: *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur verba mea, unuſquiſque à proximo ſuo.* D. Greg. in 1. Reg. ait: *Verba quippe furantur; qui bonum, quod docendo prædicant, operando non ſequuntur: quia veluti clam de alieno tollunt, quod data proprio laboris pretio ſuum nequaquam faciunt.* Si quis, v. g. exemplo obedientiæ Abrahæ, quod ipſe non ſequitur, alios ad obediendum adhortatur: furatur, dicendo quod ſuum non eſt, nec ipſe ſequitur.

Prælatus plus doceat factis quam verbis. Jerem. 23. D. Greg.

528. Nonò. Albertus Magnus: *Dicuntur ſtellæ, nempe rectores animarum, propter obedientiæ promptitudinem.* Baruch. 3. num. 34. *Stellæ autem dederunt lumen ſuum in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, & dixerunt adſumus.* Ob citatum locum Prophetæ, meritò Epiſcopi aſſimilantur ſtellis, quæ promptè, ac diligentiſſimè ſunt Deo obedientes, tam lucendo, quàm influendo, ac gyrando, & iter reflectendo, ac ſiſtendo, omnia alacriter ad Dei nutum præſtant: ſic & prælati in omnibus ſuis operibus obedientes ſe Deo exhibeant, & hoc cum lætitia, ac hilaritate: ut ſtellæ, de quibus dicitur: *Lætatæ ſunt, & dixerunt, adſumus.*

Alb. Magn. Baruch. 3. *Prælati ſint Deo obedientes.*

Decimò Stellæ hoc habent, quod cùm cuncti mortales ſint ſomno dediti, ipſæ vigilant, & lumen ſuum cum multis influentiis ſuper cunctos homines effundunt: inde optimo jure rectores ſtellis conferuntur; quia ſubditis dormientibus, ipſi vigilare, ac neceſſaria eis providere, tenentur. Benedicens Jacob filium ſuum Judam, ait *Catulus Leonis Iuda: Ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti, ut leo.* Gen. 49 num. 9. & cur eum leoni aſſimilat, cum ei totius reipublicæ regimen datur; Ideo cum leone comparatur: Leo enim vigilantiæ ſymbolum eſt, ſive quod perpetua vigilia utatur, ut aliqui credunt, ſive quod apertis oculis dormiat: ac ſi vigilare etiam dormiens videatur, ut refert Pererius lib. 11. non procul ab initio; & ante illum D. Epiphan. ad Phyſiolog. de ferarum, & volucrum natura cap. 2. 529.

Subditis dormientibus Prælatus vigilet. Geneſ. 49. Perer. D. Epiph.

Ait Iſaias cap. 14 num. 29. *De radice colubri egredietur regulus: Et ſemen ejus abſorbet volucrem.* Syriacus ſic transfert: *De radice ſerpentis egreditur ſerpens biceps, & fructus ejus regulus.* In ſerpente bicipite rectè adumbratur Chriſtus, ob duplicem ejus naturam. At Domini diſcipuli, ſeu Prælati Eccleſiæ, in regulo, ſeu ſerpente pennato adumbrantur, & quænam eis ſimilitudo cum regulo? Univerſa arma ſunt regulo in oculis: hi ſi vigilant, accedentes perimunt: ſic boni Chriſti diſcipuli: ſicque boni Eccleſiarum Prælati, oculos habent pro armis adverſus Dæmones, dum enim ipſi vigilant non audet malus inimicus accedere, ſed intuitu, ac cuſtodia ſuorum oculorum perimitur. D. Chryſoſtom. homil. 22. ad populum: *Nullus vigilans unquam læſus eſt.* 530.

Iſai. 14. Syriac. *Vigilia Prælatorum perimit inimicos.* D. Chryſ.

Angelus ait Tobiæ juniori: *Cordis ejus, ſcilicet piſcis, particulam ſi ſuper carbonem ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*, c. 6. n. 8. Et qui fumus poteſt in dæmonem tantum prævalere? Non ignis, ac fumus naturalis tanta vigebant virtute, ſed res per ignem, & fumum ſignificata ſcilicet excubatrix & vigilans virtus ignis, ac fumus vigilias oſtendunt excubantium, ac vigilantium in caſtris. Unde meritò Angelus in ignis, & fumi imagine, vigilantiam innuit, qua hoſtiles Diaboli incurſus infringuntur; quod bene intelligens Tobias, poſt ignem poſitum fumum excitavit: *Tunc hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei: Sara, ſurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur*, c. 8. num. 4. Igne, & fumo depellunt ſomnum; & lecto ſurgunt; & tanquam ſtrenui milites adverſus Diabolum excubias agunt, & in ſtatione ſtant: & totus Diabolicus impetus infringitur; vigiliarum fructus inimicorum ſaltus elidit, & frangit. 531.

Tobiæ 5. *Vigilantia fugat Dæmones.*

Quæstio LXII.

Quare ſtellæ apparent ſeptem, & non plures, nec pauciores.

532. *Litteralis ratio.*

RAtio litteralis patet ex ultimo verſ. hujus primi capitis; ubi dicitur: *Septem ſtellæ, Angeli ſunt Septem Eccleſiarum; & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.* Septem erant Epiſcopi Aſiæ, ad quos hic ſermo dirigebatur, & ad quos hæc mittenda erant, ut dicitur hoc primo capite num. 11. *Quod vides, ſcribe in libro: & mitte ſeptem Eccleſiis; quæ ſunt in Aſiæ, Epheſo, & Smyrna, & Pergamo, &c.* Proindéque ſeptem in manu Chriſti apparent ſtellæ, quæ hos Epiſcopos ſignificabant: & in eis omnes alii antiſtites, & Prælati Eccleſiarum intelliguntur, ut ſæpe ſæpius ex SS. Patribus, & Doctoribus diximus.

533. *Quæ Epiſcopus debeat ſuis miniſtrare.*

Secundò. Chriſtus D. hîc agebat, perſonam Summi Pontificis ac Sacerdotis, ut patet ex veſte podere, ut ibi diximus, dans formam, ac normam omnibus Pontificibus, ac Sacerdotibus; & habebat ſeptem ſtellas in manu: quia ſeptem ſunt, quæ Epiſcopus, ac Prælatus ſuis debet miniſtrare, ac exhibere vita exemplo, doctrina, ac operatione, ſeptem ſcilicet ſacramenta Eccleſiæ; ſeptemque dona ſpiritus Sancti; ſeptemque principales virtutes, tres Theologales, fidem, ſpem, charitatem: & quatuor cardinales, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam; ad has enim omnes aliæ morales reducuntur.

534. Nazera.

Tertiò M. Emmanuel Nazera tom. I. in Joſuë: tract. Append. de B. Virgine Maria §. 18. num. 88. addubitat, cur hîc dicatur, quod Chriſtus habuerit in manu ſtellas ſeptem; cùm de B. Virgine dicatur Apocal. 12. n. 1. *In capite ejus corona ſtellarum duodecim*; & in utero habens, ſcilicet, filium ſuum? Cur ergo hîc in manu Chriſti apparent ſeptem ſtellæ; in capite verò Virginis, cum haberet in utero filium, duodecim? Reſpondet ipſe. Hic Joannes vidit filium hominis, ſed non vidit virgineum pectus inhabitantem: illic pectus mundiſſimum Virginis conſpicatus eſt incolentem: ideò hîc pauciores ſtellæ, illic myſteriis, & numeris auctæ: per matrem namque plures cœlo acquiſivit Verbum, quos non acquireret ſine matre. Signum illud magnum, Mariam deſignaſſe, tradit Bernard. de ſigno magn. & plures Patres: ergo in Virginis utero infantulus ſtellas plures ſortitur, quàm ſine matre virili ætate ſortiatur.

Apoc. 12. — *Chriſtus per Mariam multò plures adduxit ad ſe, quam antea.* — D. Bern.

535. *In Virgine Maria plus gratiæ, & ſanctitatis, quam in omnibus SS. & Angelis collectivè.*

Quartò. Dicam in hoc dubio, quid ſentio: ſeptem ſtellæ hîc in manu Chriſti ſignificabant omnia dona gratiæ, virtutéſque omnes, tam Theologicas, quàm Cardinales, ad quas cæteræ reducuntur, ut jam dixi in hac quæſtione: quæ ſunt in omnibus Angelis, & Sanctis. Et ideò Chriſtus habebat ſtellas in manu, ut tali diademate omnes ſuos electos coronaret, ut innuunt Richard & Bernard. Senenſ. At in capite ſanctiſſimæ Mariæ eſt corona ſtellarum duodecim: quæ duodecim ſtellæ, ejus dona gratiæ, gloriæ, virtutis, ac ſanctitatis denotabant, ex quibus ejus admirabilis corona componitur: plures ſtellæ in una ſola corona Mariæ, quam in corona omnium Sanctorum, ac Angelorum: Meritò ſanè, quia in una ſola ſacratiſſima Maria plures ſunt ſplendores, ac radii gratiæ, gloriæ, juſtitiæ, ac ſanctitatis, quàm in univerſa collectione, omnium Sanctorum, ac Angelorum: Corona ſtellarum, quæ eſt in manu Chriſti, ut omnes ejus electi ſublimentur, ex ſeptem ſtellis conflatur: ut corona Mariæ ex duodecim, quia illa ſola plus habet gratiæ, & virtutum, quam omnes alii electi ſimul ſumpti. Cardin. Damian. ſerm. de Aſſumpt. *Sicut*, ait, *utramque naturam*, ſcilicet, Angelicam, & humanam, *Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum.* Ad hoc comprobandum plures Patres, & teſtimonia adduxi tom. 3. in Evang. cap. 16. quæſt. 18. per totam.

Damian.

536. Cum Joſeph, ob Virginalem conceptum, cogitaret dimittere Virginem, apparet illi Gabriel Archangelus in ſomnis, & ait illi: *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam.* Matt. 1. n. 11. quæ verba commentans Origen hom. 1. ex variis, præclarè ait: *Accipe illam, ſicut cœleſtem theſaurum, ſicut Divinitatis divitias.* Quæ verba alta indagine ſunt expendenda. *Accipe, ut cœleſtem theſaurum*: à cœleſti theſauro omnes homines, & Angeli replentur, ut ait Eccleſiaſtic. 1. num. 21. *Receptacula à theſauris illius.* Receptacula, ſive animæ ſive corporis, ut explicant Cornelius, & alii, replentur à theſauro illo cœleſti, ſecundùm varia genera donorum: nam quibuſdam datur operatio virtutum; aliis prophetia, aliis genera linguarum, &c. *Dividens ſingulis, prout vult.* Ut dicitur 1. Cor. 12. n. 11. At hic theſaurus cœleſtis, qui per tantos, & tam variè dividitur, totus eſt in una B. Virg. Maria: *Accipe illam, ſicut cœleſtem theſaurum.* Et addit magis in rem noſtram: *Sicut Divinitatis divitias.* Apoſtolus Paulus volens, explicare pulchritudinem, ac elegantiam gloriæ Beatorum, explicat per claritatem ſolis, lunæ, ac ſtellarum: *Alia claritas ſolis: alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim differt à ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* 1. Corinth. 15. num. 41. At Origenes, ut nobis proponeret excellentiam gloriæ, ac gratiæ Mariæ, non per ſolem, lunam, ac ſtellas expendit, ſed per divitias Divinitatis, & ſicut divitiæ Divinitatis magno exceſſu ſuperant ſolem, lunam, & ſtellas: ſic gratia, & gloria Mariæ, quantum fas eſt puræ creaturæ, excedit gratiam, ac gloriam Angelorum ac Sanctorum omnium; unde meritò ait D. Bernard. Senenſ. tom. 1. ſerm. 6 artic. 5. cap. 0. *Excepto Chriſto, tanta gratia Virgini à Domino data eſt, quantum uni puræ creaturæ dari, poſſibile eſſet.*

Matth. 1. Origen. — Eccleſ. 1. — Cornel. — 1. Cor. 12. — Maria in gratia, & gloria excedit omnes Sanctos. — 1. Cor. 15. — D. Bern.

537. Deus plus amat Virginem Mariam, quàm omnes Sanctos ſimul ſumptos: hoc apertè docent D. Auguſtin. prout refert D. Bonavent. in ſpeculo Mariæ, cap. 6. D. Bernard ſerm. in ſignum mag. D. Anſelm. lib. de excellentia Virginis c. 4. D. Methodius ſerm. de Purific. D. Bernard. ſerm. 15. de feſtivitatibus Virg. probatque Suar. to. 2. ad 3. p. d. ſp. 18. ſect. 4. § *Secunda ratio.* Ergo plus gratiæ, & gloriæ Deus contulit Mariæ, quàm omnibus aliis electis: gratia enim reſpondet amori Dei; quod confirmo hoc exemplo In Ægypto Joſeph excipit fratres ſuos convivio: & ita fercula dividebantur inter fratres; quod *major pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Gen. 43. num. 34. Ac proinde; ſi fratribus apponebatur unum ferculum, pars ejuſdem ferculi Benjamin quinquies major erat: & cur pars Benjamin ſuper alios fratres tam ampla erat? Hamerus: *Plura fratris obſonia mittit, cum illum ampliori amore proſequeretur.* Atqui Deus multo magis diligit ſanctiſſimam Virginem Mariam quam Joſeph diligebat Benjamin; & tamen Joſeph, pro manifeſtatione ſui amoris erga Benjamin dedit ei portionem quinquies majorem ſuper omnes fratres, ergo Deus Optim. Maximus ſanctiſſimam Virginem Mariam ſuper omnes fratres ampliſſimè ditavit, nam licet ſit ejuſdem naturæ, cum eis; tamen in gratia ſuperior omnibus eſt D. Athanaſ. oratione in Chriſti D. occurſum. *Tam etiam*, ait, *ipſa humanæ naturæ particeps fuerit, quamquam dona homine majora, divina largitate conſecuta ſit.*

Origen. Philo. D. Auguſt. D. Bonav. D. Bern. D. Anſelm. D. Method. Suar. — Geneſ. 43. — Deus, cum diligeret virginem ſuper omnes, ſuper omnes ditavit. — Hamerus. — D. Athan.

Quæstio LXIII.

Quare ſtellæ in manu Chriſti apparent?

538. RAtio litteralis eſt; quia ſtellæ ſunt Angeli, ſeu Epiſcopi Aſiæ, ut dicitur verſ. ultim. hujus primi capitis. In manu Dei cuncta ſunt poſita: & inde ſtellæ, ſeu Prælati apparent in manu Dei, ad maximam eorum cuſtodiam, & ſecuritatem exprimendam, juxta illud Joan. 10. n. 28. *Non rapiet eos quiſquam de manu mea.*

Joan. 10.

539. Becca.

Secundò Magiſter Becca tom. 2. in Evang. lib. 10. cap. 3. § 6. quod Chriſtus hîc apparet habes ſeptem ſtellas in manu & tamen apud Joan. 9. num. 6. habet lutum in manu: *Expuit in terram, & fecit lutum.* Et tamen non ſtellarum, ſed luti opus nobis ediſcendum proponit: cur non ſtellarum fulgorem, ſed ad luti humilitatem invitat; cum ait Matth. 11. num. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde?* Eleganter Urbanus IV. Pontifex Max. in Pſalm. 50. *O humilis celſitudo! quam verè, ſi voluiſſes, dicere potuiſſes: diſcite à me, fabricare auroram, & ſolem: ſive diſcite à me, quatriduanos mortuos ſuſcitare? Sed quia potentior eſt ſolidiſſima humilitas, quàm ventoſiſſima ſublimitas; idcirco potius dicere voluit: diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Pondera illud: *Potentior eſt ſolidiſſima humilitas.* A pulvere humilitatis ea poteſtas exurgit, qua præclariſſima, ac ſolidiſſima facinora edantur.

Joan. 9. — Ex humilitate præclara facinora prodeunt. — Matth. 11. — Urban 4.

540. *Prælatus, ſi deficit, in ſuo munere, punitur.*

Tertiò. Per has ſtellas in manu Chriſti, ſignificabantur Epiſcopi Aſiæ, quibus hîc cap. 2. & 3. multa minatur Chriſtus D. ſi in munere ſuo defecerint: inde in eis oſtendit Chriſtus manum ſuam, denotans, eos eſſe ſubjectos Chriſti poteſtati, ad caſtigationem ac punitionem: quæ acceptio, valde frequens eſt in ſacro textu Pſ. 37. n. 3. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Origenes homil. 1. in Pſalm. *Confirmat manum ſuam*, ait, *ſuper pueros pedagogus, dum verberat; & confirmat manus, dum verberat, non leviter infligit.* Et Auguſt. explanans illud Pſalm. 122. n. 2. *Sicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum*, ſic ait: *Qui ſunt iſti ſervi, qui habent oculos in manibus dominorum ſuorum, niſi qui jubentur cædi: Vapulatur ſervus; ſentit plagarum dolores; attendit ad manus Domini, quoad uſque dicat; parce. In omnibus hominibus Adam vapulat; & ſic ſunt oculi noſtri ad Dominum noſtrum, donec miſereatur noſtri.*

Pſalm. 37. Origen. — D. Auguſt. Pſalm. 122.

541. Quartò. Ut explicavi tom. 4. in Evangel. cap. 26. q. 6. n. 43. Chriſtus D. hîc repræſentabat perſonam veri Pontificis, ac Prælati; ſuperioris enim verba debent eſſe gladius acutus; & oculi tanquam flamma, ut cuncta introſpiciant: & dicitur de eo, quòd *habet in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Prælatus obtinet ſtellas in manu; de eo enim dicitur, ut Epiſcopo Thyatiræ: *Dabo ei ſtellam matutinam* Apoc. 2. n. 28. ſeu ut legit Arabicus: *Dabo ei nitorem matutinum.* Per quem nitorem, ac ſtellam Andræas Cæſarienſ. Gagnæus, & alii interpretantur lumen ſcientiæ, ac intelligentiæ infuſæ in intellectu à Deo, id ergo, quod mens intelligit, proportionetur manibus, illiſque conjungatur. Denotatur enim, quod lux, ac ſtella cognitionis; quæ relucet in mente, manibus reſplendeat in actionibus, ſtella intelligentiæ, quæ matutino rore exorta eſt in mente multiplici ſplendore niteat operibus externis in manu.

Apoc. Arabic. — Cæſarienſ. — Intelligentia mentis fulgeat in actione.

542. *Magna, quæ liberalis dat, in parvo æſtimat.*

Quintò. Stellæ ſua magnitudine ſuperant terram: quomodo ergo ſeptem tenentur manu filii hominis? Hæ ſtellæ denotabant præmia, quæ ſuis Chriſtus largiturus erat: inde etſi valde magnæ, tamen pro Domini liberalitate parvæ videbantur, ita ut tanquam pugillo contineri poſſent. Recenſet Nathan David, quodmodo ei Deus dederit regnum Iſraël, & addit: *Si parva ſunt iſta, adjiciam tibi multò majora.* 2 Reg. 12. n. 8. Quomodo tam latum imperium ac diadema totius Iſraël, dicuntur parva? Quamvis magna eſſent in ſe: tamen in oculis Dei donantis, parva & exigua erant.

2. Reg. 12.

543. Sextò. Res valde mira, hîc apparent in manu Chriſti ſeptem ſtellæ, & ſuper ipſum Regem natum in præſepio una tantum: *Ecce ſtella, quam viderant Magi antecedebat eos, uſque dum veniens, ſtaret ſuper, ubi puer erat.* Matth. 2. n. 9. Si hîc ſeptem ſtellæ devoto officio convolant ad Chriſti manum, cur ad ipſum in tugutiolo una ſola currit? Hîc adſtabat Chriſtus in multa majeſtate, ac ſplendore: *Et facies ejus, ſicut ſol lucet in virtute ſua: in medio Candelabrorum aureorum.* In ſtabulo verò in multa humilitate, viliſſimis pannis involutus, inter duo animalia: Verum eſt, quod ſtellæ, nec ambitione, nec ingratitudine obſcurantur: tamen ob noſtram eruditionem, ſic res eſt diſpoſita. Cum pompoſa majeſtas ſolis ſplendore relucet, multæ ad miniſterium adſunt ſtellæ, at verò, ſi hujuſmodi externus ſplendor abſconditur, & paupertas prodit; una tantum ſtella miniſtrat & hoc magno miraculo facto. D. Chryſolog. ſerm. 156. *Apparuit*, ait, *ſtella, non volens, ſed juſſa; non cœli nutu, ſed divinitatis impulſu; non lege ſyderum, ſed novitate ſignorum.*

Matth. 2. — In felicitate ſunt qui ſequuntur, non ſic in indigentia. — D. Chryſ.

544. Septimò. Profunde expende, quod hîc videntur à Joanne ſeptem ſtellæ, & ſeptem candelabra, in quibus idem eſt ſignificatum: nam